



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Marcvlf Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

XXI. Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus suis meliorare potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**

XXI. CHARTA QUALITER  
pater filium, vel nepotem de rebus  
suis meliorare potest.

**Q**uicquid pater vnumquemq;  
ex filiis vel nepotibus habere  
voluerit, hoc sibi secundum legis  
ordinem, sine consortis repetitione  
defendat: nec præsumat aliquis cō-  
tra voluntatem patris agere. Igitur  
ego in Dei nomine ille, dulcissimo  
filio vel nepoti meo illi. Cedo tibi,  
cessumque in perpetuum esse volo,  
& de meo iure in tuam trado domi-  
nationem, absque consortio fra-  
trum tuorum, vel filiorum meorum  
villam in loco nuncupāte illo, cum  
terrīs, domibus, accolabus, manci-  
piis, libertinis, vineis, syluis, campis,  
pratis, pascuis, aquis, aquarumue de-  
cursibus, mobilibus & immobili-  
bus, cum omni supraposito, suisque  
adiacentiis, vel quicquid inibi præ-

senti tempore mea videtur esse pos-  
sessio , totum & ad integrum , à die  
præsente tibi volo esse concessum  
atque indulatum ; Ita ut quicquid  
exinde facere volueris , liberam &  
firmissimam in omnibus habeas  
potestatem . Si quis vero , &c.

XXII. EPISTOLA QVALL-  
*ter nepotes in loco filiorum insti-*  
*tuuntur ab auo.*

**Q** Vicquid filiis , vel nepotibus  
de facultate patris cognosci-  
tur ordinasse voluntatem eius , in  
omnibus lex Romana constringit  
adimplere . Ideoque ego in Dei no-  
mine ille , dulcissimis nepotib. meis  
illis . Dum peccatis meis faciētibus ,  
filia mea genitrix vestra tempus na-  
turæ suæ compleuit , & ego pen-  
sans consanguinitatis causam , dum  
& per legem cum filiis meis , auun-  
culis vestris , in alode meo ad intc-